

inconvertibilem fuisse, *Autor Disputationis* ex eo colligit, quod Christus vae ipsi denunciaverit & addiderit, bonum fuisse illi homini, si natus non fuisset. Verum quod *Olearius* in disputatione de Lacrymis Christi, Thes. 22. Reformatis objicientibus, Judæos ob Christi præscientiam æternum exitium evitare non potuisse, respondit, idem sibi *Autor* disputationis de statu induratorum responsum putet: aut si ista non sufficiunt, conferat etiam, quæ *Rechenbergius* in Disputatione de Jure Dei in Domum Israël Cap. 2. thes. 33. de divina præscientia disseruit. Neque etiam ex particula vae probari potest, Judam inconvertibilem fuisse. Nam Christus etiam æternum vae illis denunciat, per quos scandalum venit, addens, melius ejusmodi homini fore, si in profundissimo mari submergatur: neque tamen omnes illi sunt inconvertibiles, per quos scandalum venit. Et si Judas ob illam Christi prædictionem inconvertibilis fuit, dicendum erit, quod nunquam convertibilis fuerit, quia Spiritus Sanctus jam in Vet. Testamento Judæ damnationem prædixit, ut *Tarnovius* ad Psal. 109. & alii observarunt.

### *Thesis XI.*

Patet ergo, perperam Autorem disputationis de statu induratorum sibi persuasisse, quod in scripturâ dentur indurati ante mortem omni Dei gratia privati. Occurrunt verò & alia minus probanda in hac ipsa disputatione, ex quibus aliqua breviter notabimus. Dicit in thesi 18. *Meisnerum* in *Anthropol*: Decad. I. Disput. 9. pag. 295. rectè observasse, quod

D  
non